This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lp
45
278

Hp 45.278

Harvard College Library

FROM

By Exchange

Sf. 45. 138

SYNTAXEOS PROPERTIANAE CAPITA DUO, QUAE SUNT DE VERBI TEMPORIBUS ET MODIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS SPINDLER
MARPURGENSIS.

MARPURGI CHATTORUM.
TYPIS C. L. PFEILII TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCLXXXVIII.

Sp 45.278

Harvard College Library
Mar,7. 1902.
By Exchange,

In animo cum esset, Propertianae syntaxeos capita duo, quae sunt de temporibus et modis, tractare, haec maxime respicienda esse putabam: primum, ut grammaticae quam vocant historicae poëta inprimis obscurus et novis rebus studens adscriberetur; qua de causa, quo clarius propria huius poëtae quae essent cognoscerentur, saepius ad Vergilium alios recurrere a re haud alienum esse censui; tum, ut ad textum, cuius malam condicionem quis est quin norit? emendandum pauca conferrem; non quo viri doctissimi unius Propertii textum plane neglexerint: magnum et haud irritam operam Lachmannus, Hertzbergius, Jacobus, Hauptius navarunt, ut et avia poëtae nostri lectori aperirent et aspera coaequarent; sed adhuc qui talia susceperunt, nimis desiderarunt firma quae minimis quibusque explorandis poëtae propriis praebeantur fundamenta. Itaque si ad haec exstruenda libellus noster aliqua attulerit scripsisse auctorem non poenitebit.

A. Tempora.

Praesens.

Quatenus Propertius praesentis temporis forma ad actiones mere praesentes significandas usus sit longius explicare vel locos eo pertinentes enumerare, quia hac re non differt a communi usu poëta, non videtur nostrum esse. Aliorum vero notionis generum, quibus aut quae propria sint poëtae, aut eius scribendi vel cogitandi ratio luculentius declaratur, mentio fieri debet.

Praesens historicum quod vocatur quoque in narratione concitata solent uti pro tempore perfecto, in nostri poëtae carminibus huius temporis notionem raro praebere iam ex ipsa natura carminum apparet. Propertius enim quamvis saepe ad mythos narrandos a materia instituta aberret, tamen brevitate excursionum aut arcta mythi cum argumento carminis conjunctione quominus in concitatum narrandi genus incidat prohibetur. Itaque praesens historicum exstat iure pro perfecto historico tantum paucis locis:

II, 9, 10: (Briseis Achillem) Candida vesana verberat ora manu; Et dominum lavit maerens captiva cruentum; (rectissime, nam lavit, priusquam verberat[1]);

II, 16, 12: .. (vidi ..) Saepe meum nomen jam peritura vocas ..

III, 15, 25: Inde Cithaeronis timido pede currit in arces .. "

IV, 1[b], 134. *Dictat, vetat,* IV, 4, 7: (*Fabor ..*) *praecingit ..* IV, 4, 76: (*festus erat ..*) *cum madent;* IV, 8, 55: *fulminat illa oculis .. saevit .. conicit .. clamat .. turbant .. sonat-* 84 sqq: *terguit .. imperat* IV, 10, 35: *Cossus ait .. nec mora fit.* IV, 6, 55: *Dixerat, et consumit ...*

Neque minus praesentis historici genus quoddam exstare videtur in versu IV, 4, 4: (*Lucus erat ..*) *Multaque nativis obstrepit arbor aquis.*" Si enim id respexeris, quod poëta describat et cum dicat: .. *Lucus erat ..* locum tamquam scaenam appellet, quo res narrandae eveniant, summa arte illud „*obstrepit*" dictum esse concedes. Quis enim est quin de lege illa admoneatur, quam a veteribus in artificiis fingendis diligentissime observatam esse Lessingius noster in Laocoonte demonstravit? Sane poëta dicere poterat: lucus erat, arbor obstrepebat; at multo gravius et eo ipso, quod non eodem tempore usus est, pulchrius arborem quasi agentem in scaena illa, id est, cum aquis colloquentem, finxit. Habes igitur idem, quod in carmine Vergilii heroico legis: IV, 522–532: *Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem ..* (corpora) *at non infelix* (sc. Dido) .. *solvitur .. accipit etc.*, vel IX, 459: *et jam prima novo spargebat lumine terras .. Turnus suscitat ..* vel perfecto pro praesenti usurpato: III, 147: *Nox erat .. visi ante oculos ..*

---

[1]) Mortuos apud Graecos primum lavatione, tum planctu affectos esse apparet ex Il. XVIII, 350 sqq. cf. K. F. Hermann, Antiq. III, 1, p. 198.

Saepius tempori praesenti notio futuri inest:

II, 13, 16: „possum inimicitias tunc ego ferre Jovis".

Hic jam particula „tunc" pars notionis futurae, quae enuntiato toti inest, significatur, praeterquam quod summa cum gravitate poëta dicit, se aliquid certo posse quodque ipsi huic verbo notio ad futurum tempos spectans inhaerere solet; sed aliorum quoque verborum tempora praesentia pro futuris legimus, cum poëta illo affirmandi utitur genere:

II, 15, 24: „Nox tibi longa venit, nec reditura dies".

III, 5, 16: (Victor miscebitur) „Consule cum Mario, capte Jugurtha,

sedes" 17: „Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro".

III, 13, 60 (Proloquar) „frangitur ipsa suis Roma superba bonis".

II, 23, 20: „ . . Infelix, hodie vir mihi rure venit".

Facile quid intersit inter huius loci et illorum sensum intelligitur. Vates enim, cuius tempus futurum tamquam praesens obversatur menti, cum de mobilitate fortunae dicit, poëta videtur esse; at poëtae est, etiam in domos mortalium intrare quaeque agunt dicuntve mitari; atque in v. II, 23, 20, quidem levem sermonis familiaris speciem praesenti pro futuro usurpato praeberi quis non videt? Praesens cum notione futuri in v. III, 21, 21: (cum . . .)

Sed arit placida vela phasellus aqua,

Quod superest, sufferte, pedes, properate laborem,

facile ita explicatur, ut enuntiatum relativum „quod superest" inter sermonem praecipitem in unam concrevisse vocem (quam nos liceremus „der Rest"), eamque ob causam extra temporum fines stare dicamus.

Sed perfecti quoque temporis praesens suscipit vices:

ut repeti actionem aliquam significetur: II, 8, 1: „Eripitur nobis jam pridem cara puella" id est, cotidie denuo queror, quod erepta est et jam abest".

II, 7, 2: Qua quondam edicta flemus uterque diu;

deinde, ut, quod Ladewig annotat ad Verg. ecl. VIII, 45, more Graecorum significetur, actionem per se perfectam causam status praesentis esse, sicut graece: „*τίκτουσι*."

II, 3, 23: „Num tibi nascenti . . sternuit omen Amor"

IV, 1[b], 121: „Umbria te notis antiqua Penatibus edit".

Imperfectum.

Hoc tempus in elegiis omnibus paene locis eandem vim atque in prosa oratione praebet eam, ut aut consuetudo aut actiones complures eodem tempore accidere significetur. Ipso in versu IV, 10, 33, ubi conjunctionem „dum", aliter atque in prosa oratione, imperfectum sequitur, consulto poëta ita videtur scripsisse — id quod ex usu verbi iterativi pulsandi pro simplici pellendi elucet — ut repetitionem actionis accuratius describeret:

„Dumque aries murum cornu pulsabat aheno —
. . Cossus ait . .

Vices imperfecti et perfecti eam ob causam mentione dignas, quod primo obtuitu videntur ad unum atque idem tempus pertinere res actae exhibent verss. monobibl. 3, 21 seqq. (ibid. 41 sqq.)

„Et modo solvebam nostra de fronte corollas
Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus,
Et modo gaudebam lapsos formare capillos,
Nunc furtiva cavis poma dabam manibus,
Omniaque ingrato largibar munera somno
. . . . . .
Et quotiens raro duxti suspiria motu,
Obstupui vano credulus auspicio . . .

Videmus inde a versu 21 usque ad v. 25 tempus imperfectum, tum subito in v. 27 et 26 perfectum usurpari. Accuratius spectantes ne hic quidem ab usu orationis pedestris cessisse poëtam intellegemus.

Actionibus enim, quae permanentes finguntur velut solvendi vel dandi et animi affectioni gaudendi res opponuntur quae, quamvis et ipsae repetantur, speciem subito intrandi perfecti ipsius usurpatione prae se ferunt.

Perfectum.

Perfectum et maxime perfectum quod historicum vocatur raro in carminibus eroticis legi per se ipsum intellegitur; eoque rarius apud Propertium exhibetur, quod eum alia quoque tempora pro perfecto usurpare videmus. Atque historicum perfectum cum nihil

quod mentione dignum sit praebeat, perfectum quod vocatur praesens vestigia saltem usus proprii exhibet. Id perfecti genus maxime eo cognoscitur, quod actionem significat, quae quamvis jam pridem perfecta sit, in condicionem certam et constantem sit translata, ita ut in tempus praesens prodire videatur. Itaque hoc tempus aptissimum est, quod loco Graecorum aoristi quem vocant gnomici stet. Ut enim aoristus extra temporum fines stat et actionem sine ulla temporis significatione ita narrat, ut eam omnibus temporibus fieri posse putemus, ita Romanorum perfectum saltem duo tempora complectitur, tempus perfectum et tempus praesens. Ceterum non possum, quin perfecti experientiae notionem plurimum ad illam gnomici aoristi significationem assequendam existimem valuisse. Apud Propertium quidem inter enuntiata mere gnomica et experientiam significantia vix poterit discrimen fieri;

mb. 12, 15: „Felix, qui potuit praesenti flere puellae"

II, 15, 51: „Ac veluti folia arentis liquere corollas"

III, 11, 6: „Vulneribus didicit miles habere metum"

Magis in proverbii morem hoc enuntiatum est, in quo coniunctivus perfecti legitur: II, 1, 66: (*Hoc siquis vitium poterit mihi demere*)

. . . . . .

„Dolia virgineis idem ille repleverit umbris".

Quae sententia, perfectum cum notione praesentis postquam initio tantum experientiam magno temporis spatio probatam significaverit, paullatim in aoristi gnomici sensum abiisse, confirmari etiam videtur Vergili Georgicis, quorum exempla cum aptissima viderentur ad comparationem quippe quae res notas et inter agricolas admodum tritas traderent, collegi omnia.

G. I, 49: illa seges demum votis respondet avari Agricolae . . . .
Illius immensae ruperunt horrea messes.

181: exiguus mus posuit domos atque horrea fecit; similiter 330 sqq. II, 141; 444; 490; 510; 513; III, 246; 283; 378; 417.

De his, quae adhuc dixi perfectis Leyi[1]) sententiam, qui illis locis perfectum mere gnomicum exhiberi negat, nemo non prohabit;

---

[1]) Ley, de usu tempp. Vergiliano (progr. Saarbrück.) 1877.

nimis contorte autem idem vir doctus explicare videtur perfecta illa, cum dicit, consecutionem temporum a poëta observatam esse; nam, ut exemplum v. priorem afferam, tum demum segetem votis respondere agricotae, cum messes jam ruperint horrea. Nam ut concedas, vera G I, 49, 182, 330 sqq. II, 141, 444, 490, 510, 513, III, 246; 283; 378; 417 ita explicari posse, ut ille vir doctus vult [1]) tamen non nulli restant loci, quibus — id quod ille concedere videtur, — experientiam perfecto exprimi luce clarius est, velut I, 263 : (*cavat arbore lyntres*) *aut pecori signum aut numeros impressit acerris.* 373/74: *nunquam imprudentibus imber obfuit* . . similiter II, 24; 70; 303; 311; 378; 496; III, 459; 509; IV, 43; 204; 252.

Quin etiam perfectum cum notione Graecorum aoristi gnomici legi censeo G. IV, 212—214: . . *rege incolumi mens omnibus* (*sc. apibus*) *una est; Amisso rupere fidem, constructaque mella Diripuere* ipsae *et crates solvere favorum;* nam perfectum si, ut supra, experientiam tantum significaret, non eadem notione, ac praesens „est" usurparetur.

Sed jam ad Propertium revertamur. Separatim usus infinitivi perfecti Propertianus est tractandus. Quod enim apud Horatium legimus carm. I, 16, 13: „*Fertur Prometheus addere*", eam fluctuationem temporum infinitivi in elegiis haud paucis locis invenimus ita, ut contrarie perfectum pro praesenti stet. Is infinitivus cum a verbi finiti perfecto regitur, facile quis attractione cogitandi id factum esse dixerit, velut mb. 1, 15: *Ergo velocem potuit dom uisse puellam* mb. 17, 1: *potui fugisse puellam*". II, 16, 3: „*Non potuit vitam posuisse?* IV, 2, 54 „ *Vidi hostes terga didisse*" IV, 7, 28: *quis . . vidit incaluisse togam?*", praesertim cum verba posse et videndi illis locis plane pro verbis auxiliariis sint, quo efficitur, ut praeteritum tempus eorum perfecto expressum quasi non audiatur. Id autem si concedimus, tempus perfectum infinitivi forma repetendum fuisse facile intellegimus.

Sed a praesenti quoque finito infinitivus pendet:

mb. 7, 16: „quod nolim nostros eviolasse deos"

II, 13, 11: Me juvet in gremio doctae legisse puellae Auribus et puris scripta probasse mea". III, 14, 30: „Nec digitum augusta est inseruisse via".

[1]) cf. diss. n p., 4. ubi de simili exemplo Propertiano agitur.

Magis etiam offendit infinitivus perfecti pro praesenti e futuro finito aut verbo, cui voluntas futuri inest, aptus:

II, 19, 32: „Absenti nemo dum nocuisse velit.

III, 9, 43: „Inter Callimachi sat erit placuisse libellos Et cecinisse modis clare Phileta, tuis".

IV, 3, 70: „Hac ego te sola lege redisse velim; maxime eam ob causam, quod actio petita vel expectata legentibus tamquam perfecta describitur. Nihilominus scitissime poëta in verss. III, 9, 43/44 perfectum usurpat; cum enim de carminibus judicum fertur, iam antea placuerint ea etc ertum genus quoddam secuta sint necesse est.

Neque tamen apud Propertium solum talia legimus; poëtarum aliorum quoque carmina perlustranti magna eius infinitivi generis copia conspicietur.

Ex quo numero hos commemoro: Hor. c. I, 1, 4: *collegisse juvat . .*; Verg. ecl. X, 70 *sat erit cecinisse;* G II, 108: *velit nosse;* III, 436: *libeat jacuisse;* 526: *quid* (juvat) *invertisse?* IV, 197: *mirabere placuisse* (apibus morem.)

Imperfecti partes agere videtur perfectum in verss. III, 13, 34 et 40. Quia in ipsis vicibus temporum offensio quaedam inest, totus locus hic exhibeatur:

33. „ His tum blanditiis furtiva per antra puellae
Oscula silvicolis empta dedere viris
Hinulei ac pellis stratos operibat amantes,
Altaque nativo creverat herba toro;
Pinus et incumbens lentis circumdabat umbras,
Nec fuerat[1]) nudas poena videre deas;
Corniger atque sui vacuas pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oves.

Cuius offensionis poëtae quicunque artem qua in ipsa narratione rerum continuo repetitarum inter actiones et status fecit discrimen[2]), admiratus erit, libentissime dabit veniam.

Neglegentiae cuidam tribuere solemus, si linguam vernaculam cum latina comparantes pro futuro quod exactum vocatur a nobis

---

1) De hoc plusquamperfecti genere v. infra pag. 11.

2) Cf. etiam p. 4. h diss.

futuro sequente nunquam non perfectum usurpari annotamus. Et id quidem recte, si de optima utriusque linguae prosa oratione agas; minus recte, cum ab omnibus Romanis accuratius, quam nos solemus, dictum esse contendas.

Iam enim ipsa temporis illius forma non omnibus dicendi generibus eodem modo est apta et poëtam maxime, cuius interdum interest, ut sermonem cotidianum imitetur, quemque similiter praesenti pro futuro uti vidimus, perfectum pro futuro exacto usurpare non miramur. Sed ut, quo tendat oratio, statim dicam, de ordine versuum e 10. libri II a viris doctis dubitatur. Cum enim constet, verss. 7 et 8, quibus poëta dicit, se bella aetate posteriori vel „extrema", nunc autem Veneres canturum, male cum antecedentibus et sequentibus, quibus initium carminis nobilioris capit, consonare, Heimreichius illos versus omnino delendos, Birtius post versum 20. collocandos censuit, quippe qui optime verss. 19 et 20. sensum continuarent[1]).

Cui collocationi obstare videtur perfectum „scripta est", quod nimirum primo obtuitu interpreteris: (Kriege werde ich besungen, da meine Geliebte bereits) besungen worden ist" [2]).

Sed videtur tantum. Nam si exempla huiusmodi respicias;

mb. 17, 27: Si quando vestras labens Amor attigit undas,
Mansuetis socio parcite litoribus.

IV, 1[b], 139: Nam tibi victrices, quascunque labore parasti
Eludet palmas una puella tuas

IV, 2, 29: . . cum est imposta corona Clamabis capiti vina subisse meo,

sane illud „scripta est", pro „scripta erit" stare dices posse; revera autem rem ita se habere sententiarum ordine confirmatur; neque enim poëta dicat propria cum notione perfecti: Bella canam, quoniam puella scripta sat est, nisi ab hoc ipso tempore bella canit, et optime interpretamur: Bella canam quando-scripta erit, cum a poëta tentatam quidem paullo antea Musam nobiliorem, mox autem missam videamus his verbis:

---

[1]) Birt, das ant. Buchwesen p. 417.

[2]) Sic Magnus „Philolog. Wochenschrift 1882, Nr. 36, 1126.

„Sic nos nunc inopes laudis conscendere culmen
Pauperibus sacris vilia tura damus.
Nondum enim Ascraeos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permessi flumine lavit Amor."

Plusquamperfectum.

Plusquamperfectum tempus cum in elegiis haud semel vices imperfecti et perfecti suscipiat, praetereaque creberrime suo loco inveniatur, non iniuria Propertianae dictionis proprium vocetur. Scitissime duobus locis plusquamperfectum loco imperfecti legimus: IV, 3, 45: „*Romanis utinam patuissent castra puellis — Essem militiae sarcina fida tuae*"; poëta enim plusquamperfecto morem, qui ut iam pridem observatus fuisset in votis est, imperfecto id, quod ipse secundum illum morem facturus fuerit et iam faceret, exprimit; IV, 9, 44 „*Quod si Junoni sacrum faceretis amarae — Non clausisset;* nam Propertius cum eos, quibuscum agit, alloquitur, Herculis exemplum afferens monet, ut Iunoni sacrum faciant; cum autem dicere in animo est . . „si faceretis . . non clauderet" in illo Herculis exemplo moratus id affert, quod eiusdem temporibus futurum erat, si is Iunoni sacra fecisset.

De v. III, 13, 38, postquam versus et antecedentes et sequentes eum iam supra tractavimus [1]), hic liceat integro agere. Consulto, sicut in iis exemplis, quae modo tractavimus, noster plusquamperfecto utitur, ut significet, iam ab antiquissimis temporibus usque ad illud, de quo agit ipse tamquam perfecto, poenam non fuisse, nudas videre deas.

Plusquamperfectum perfecti loco saepius in elegiis reperitur; quantoque accuratius, quam alii vel poëtae vel scriptores orationis pedestris Propertius eo tempore usus sit, quamque proprium eius sit, actiones, quas narrat, secundum consecutionem temporum singulorum disponere, a viris doctis, qui textum poëtae nostri redegerunt, non satis intellectum vel probatum est; saepius enim ab iis loco plus-

---

[1]) Cf. p. 9.

quamperfecti codicibus optimis traditi perfectum est collocatum, quippe quod minus offensionis haberet. Sed attente qui nostrum legerit, hanc poëtae consuetudinem cognoscet: Narrationem si noster diligentius persequitur — id quod raro fieri iam supra diximus — facta ita disponit, ut tempus, quo is, qui illa memoriae prodidit, vixit, pro perfecto sit, ea vero, quae hic prodidit quaeque ipse poëta repetit, ante illud tempus, id est, in tempore plusquam perfecto sint.

mb. 15, 10 et 12: (At non sic Calypso) „Desertis olim fleverat aequoribus: Multos illa dies . . sederat;

hic Homeri, qui illa tradidit, tempus pro perfecto supplendum est; Homerus autem cum iam perfecta tradat, Propertius plus quam perfecta repetit.

mb. 20, 15/16: „Quae miser ignotis error perpessus in oris — Herculis indomito fleverat Ascanio";

II, 3, 34: „Pulcrius hac fuerat, Troja, perire tibi".

II, 6, 3: „Turba Menandreae fuerat nec Thaidos olim — Tanta . ."

II, 8, 31: „Viderat ille (Achilles) fuga stratos in litore Achivos . .

II, 28, 17: „Jo versa caput primos mugiverat annos".

II, 28, 21: „Andromede monstris fuerat sacrata marinis."

II, 28, 23: „Callisto Arcadios erraverat ursa per agros."

Similiter, cum poëta res a se ipso vel aliis gestas narravit et tamquam oblitus aliquam minoris momenti rem repetit integram, res illae iempore perfecto, plusquamperfecto haec versantur:

mb. 3, 17: (conor adire) „Non tamen ausus eram dominae turbare quietem"

II, 29, 7: (pars visa est vincla parare mihi) „Sed nudi fuerant."

II, 31, 7 (visus mihi est) „Atque aram circum steterant armenta Myronis."

Et illud „fuerant" et hoc „steterant" maxima codicum parte tradita, sed a Fonteinio, Heinsio aliis, tamquam corrupta essent, spreta non dubito quin conservanda sint. Nam cum poëtae nostri proprium esse vidimus iam, ut plusquamperfecto ad res temporum ordine disponendas utatur, tum, vel si talis consecutio temporum a lectoris animo plane aliena est, tamen eam a nostro satis artificiose fingi videbimus:

mb. 12, 11: „Non sum ego, quod fueram".

Hic pro tempore perfecto, quod suppleamus necesse sit, poëtae in animo versatum esse transitum in aliam condicionem factum dicemus, hoc fere modo:

„Non sum ego, quod fueram, priusquam mutatus sum; quem quidem transitum poëta, quamvis tecte, significat versu 12:

„Quantus in exiguo tempore fugit amor". Similiter hisce locis:

III, 11, 29: „Quid modo quae nostris obprobria vexerat armis" (femina) scilicet priusquam Octavianus ea „ultus est".

III, 24, 19/20: „Exciderant surdo tot mea vota Jovi"

(19: Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono) scilicet, priusquam ad te, mentem bonam, „veni".

IV, 5, 71: „Exequiae fuerant rari furtiva capilli Vincula . . ; rectissime; nam exequiae puellae a poëta iis, quae praemisit, antecedentes finguntur. Horum versuum argumento innixus vers. quoque IV, 7, 15: „Iamne tibi exciderant vigilacis tecta Suburae" hac forma conservari velim, quem iam Sealiger mutavit in . . exciderunt . .

Nam praeterquam quod optimi codices illam lectionem exhibent, plusquamperfectum omnino offensionem praebet nullam; utque supra, ita hic facile supplemus: (exciderant) „priusquam ego (Cynthia) te de illis rebus admonui".

Talis, qualem hucusque vidimus consecutio temporum omnibus eiusmodi locis praeter duos potest demonstrari, velut:

mb. 16, 1: Quae fueram magnis olim patefacta triumphis-Janua-Cujus inaurati celebrarunt limina currus . . Nunc ego queror; atque hic quidem progressus temporum usque in praesens continuatur;

II, 29, 4: (Turba minata) „Venerat-hos vetuit me numerare timor . .

IV, 6, 55: Dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus; ubi praesens hisoricum perfecti locum obtinet.

Ea exempla secuti in his duobus quoque versibus plusquamperfectum traditione probatum conservabimus:

IV, 8, 53/54: „Pocula mi digitos inter cecidere remissos; Palluerantque ipso labra soluta mero"; scilicet labra palluerant priusquam pocula cecidere.

IV, 8, 81/82 „Indixit leges; respondi ego; „legibus utar" Riserat imperio facta superba dato"; rectissime, nam riserat, priusquam „ego respondi".

Uterque versus ille Livineii, hic Burmani auctoritate repudiatus erat; ac *„palluerantque"* quidem in perfectum *„palluerintque"*;

„*riserat*“ in perfectum „*risit*“ cum particula „*at*“ mutata erant. Quam particulam iam ipsi abrupto totuis loci generi dicendi plane repugnare quis non videt?

IV, 9, 1—3 Amphitryoniades qua tempestate iuveneos E g e r a t a stabulis . . V e n i t

IV, 9, 28: Turis odorato l u x e r a t igne casa . . o r n a b a t aedem.

Hunc quoque versum nuper ita emendandum esse censuerunt, ut pro plusquamperfecto „*luxerat*“ scriberent „*lux erat*“. Sed non opus erat, tus pepertuo cremari, sed semel inflammatum odore casam impleverat jam, cum cetera agebantur. Itaque explicandum est: „priusquam cetera solemnia agebantur, tus erat crematum; (i. e. luxerat.) minime: dum aguntur, tus cremabatur [1]).

Sed profecto plusquamperfectum non omnibus locis, ubi pro perfecto legitur, e dispositione temporum explicari posse concedemus, si versus huiusmodi respiciemus:

III, 8, 1: „Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas“; sed cum hic pro perfecto suppleas id tempus, quo recordatus noster illam rixam dulcem fuisse quasi denuo sentit — quae quidem memoria quam sit vivida etiam temporibus praesentibus versuum sequentium apparet — contra in v. III, 18, 15:

„Occidit et misero s t e t e r a t vigesimus annus“

plusquamperfectum maxime offendit animos legentium; nam si quis occidit, cum occasu „an nus stat“ neque ante occasum neque post.

Plusquamperfectum e conjunctione “postquam“ pendens quod semel legimus, formam eius magis aptam metro visam esse poëtae dicemus quam perfectum:

IV, 9, 63: „At postquam exhausto jam flumine v i c e r a t aestum . . p o n i t jura . .

Nihilominus autem a nostro, si eius interest, ut celeritatem significet, res gestas neglecto temporum discrimine perfecto tribui, tamquam eodem tempore sint factae, non miramur:

II, 29, 39/40: „Dixit et opposita . . dextra Prosilit (praesens historicum idem valet ac perfectum)

---

1) Forte mihi Ovidium stringenti eiusdem usus occurrit exemplum Met. IV, 6, 74: —nisi quod levis aura capillos M o v e r a t, et tepido man a b a n t lumina fletu — ratus esset . . .

Item tempora confunduntur, ubi de tempore dicitur universo rei gestae:

II, 14, 7/8: „Nec sic incolumen Minois Thesea vidit,
Daedalium lino cum duce rexit iter" id est, „*quo tempore rexit*", vel „*aliqua parte ejus temporis, quo . .*"

Ampla Propertiani plusquamperfecti peracta materia postquam usum ab aliorum satis alienum cognovimus, si qua vestigia apud alios quoque inveniamus eiusdem usus consentaneum videtur inquirere. Et sane apud Vergilium tale quid inveniri puto, non in Aeneïde quidem, cuius rei Ley testis est[1]), sed in carminibus rusticis. Dispositio enim temporum qualem in elegiis esse demonstravimus exstare mihi videtur Georg. III, 489/90: .. „*aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos inde neque impositis ardent altaria fibris*" . . Sine ullo dubio cum praesens „ardent" pro eo genere perfecti sit, quo consuetudinem aliquam significare solent, eo Vergilius ab usu communi cessit, quod verbum enuntiati secundarii non eidem tempori, perfecto, sed plusquamperfecto attribuit, quod etiam adverbio „ante" confirmatur. Neque aliter in v. ecl. IX, 7 plusquamperfectum „audieram" ita videtur explicandum esse, ut tempus perfectum supplendum sit velut „priusquam huc veni".

Futurum.

Futuri notio cum conjunctivo simillima sit propter incertam utriusque rationem alterum alterius vices suscipit:

IV, 2, 32: „Furabor Phoebi (sc. speciem), si modo plectra dabis;" neque loco dubio II, 34^{b}, 53 futurum (vel futurum exactum; utrum recte legatur in medio relinquo) aliquid offensionis habet: (nulla solet quaerere) „*nec si post Stygias aliquid restabimus undas*". Coniunctivi vicissim pro futuro indicativi usurpati exemplum praebet v. III, 15, 46: „*Te solam et lignis funeris ustus amem!*" Praeterea id tempus cum significatione imperativi usurpatur, eo tamen discrimine, ut imperativus lenior imperii forma sit, gravior futurum:

---

[1]) Ley, Vergilianarum quaestt. spec. prius de temporum usu. progr Saarbr. 1877.

II, 13, 27: „Tu vero nuoum pectus lacerata sequeris Nec fueris lassa . . oscula pones

III, 3, 39: „Contentus niveis semper vectabere cygnis Nec te fortis equi ducet ad arma sonus . . "

IV, 1b, 137: (At tu finge) . . „Militiam Veneris blandis patiere sub armis"

nimirum dea ipsa poëtae leges dat.

Futurum exactum.

Quod iam inter plusquamperfecti tractationem vidimus, dispositionem dico temporum et quasi gradus, id in futuri exacti quoque usu spectare possumus iis locis, quibus noster accuratius quam apud alios solet fieri, nonnunquam etiam cum offensione quadam, res futuras dividit in prius et posterius futuras:

mb. 16, 21: „Nullane finis erit nostro concessa dolori-tristis et.. somnus erit?"

II, 5, 10: „Si dolor abfuerit, crede, redibit amor."

II, 5, 21: „Nec tibi perjurae scindam de corpore vestes-Nec mea praeclusas fregerit ira fores

II, 30, 4: (nulla est fuga) „Non si Pegaseo vecteris . . dorso Nec tibi si Persei moverit ala pedes"; scitissime;

cum enim poëtae in animo esset dicere:

„Nec si.. vecteris", ne acta ageret quod aiunt, pro illo „vecteris" verbum movendi usurpavit; sed si quis volat vel „vectatur per aëra", antea iam movit ala pedes.

II, 13, 28: „Nec fueris nomen lassa vocare meum-pones oscula..; accedit hic, quod poëta certissime id, quod praedicit, eventurum esse affirmat; quae futuri exacti significatio apud alios quoque invenitur, velut Caes. bell. gall. IV. 25: *„officium praestitero"*.

III, 10, 29: „Cum fuerit multis exacta trientibus hora, Noctis et instituet sacra ministra Venus", Annua solvamus.. sollemnia.

IV, 11, 85 sqq.: Seu tamen adversum mutarit ianua lectum, Sederit et nostro cauta noverca toro . . Capta dabit . . illa manus.

Sequantur iam ii loci, quibus tempus futurum, quo nititur quasi futurum exactum, aliquo alio modo exprimitur, sive coniunctivo sive praesenti loco futuri usurpato, ut aliquid certo eventurum esse significetur.

mb. 19, 15: „Harum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma Gratior,
et Tellus hoc ita iusta sinat".

Similiter hos versus explicari velim, quibus praesens illud exhibetur, quod jam supra pro futuro esse vidimus, si aliquid pro certo praedicitur:

mb. 8b, 44: „Sive dies seu nox venerit, illa mea est".

IV, 8, 13: „Si fuerint castae, redeunt . . "

Prorsus praesenti nititur futurum exactum in v. IV, 1b, 105, qui versus omnino excellit licentia: (103: „*Hoc neque arenosum Libyci Jovis explicat antrum*") . . 105: *Aut si quis motas cornicis senserit alas*". Sed hic quoque, si poëtae licentiam animo sequimur, futurum inter „explicat" et „senserit" supplendum videtur velut: (aut quis) sciet, (si senserit).

Videamus nunc, quo iure singulis in versibus noster futurum exactum usurpaverit. Prosae orationis eum morem, ut illud tempus aut futuro aut perfecto quasi nitatur, Propertius uno tantum loco, IV, 1b, 105 plane neglexit; ceteris locis aut futurum aut aliud tempus cum notione futuri exhibetur. Tamen amore quodam tempora disponendi commotum esse nostrum, ut nonnullis locis futurum exactum loco futuri simplicis usurparet facile intellegitur. Ut enim omittamus ea futura exacta, quae sunt pro futuris, ut aliquid certo esse eventurum significetur (velut mb. 19, 15; II, 13, 28), praeterea illud tempus etiam legitur, ubi poëta res eodem tempore agendas vel futuras dicit: mb. 8b, 44; II, 5, 10; IV, 11, 85/86. Quam libenter autem Propertius tempore, de quo agimus, utatur, optime e v. III, 10, 29 apparet, quo in versu futurum exactum: „exacta fuerit" legimus, in quo tempus perfectum non semel, sed bis exprimitur.

Consecutio temporum.

Quae vulgo vocatur consecutio temporum eiusmodi, ut tempora enuntiationis secundariae temporibus primariae accomodata sint, quo-

minus apud nostrum inveniatur idem obstat impedimentum, quo iam praesentis et perfecti historicorum usum admodum angustis inclusum esse finibus vidimus. Nam cum plerumque singulis distichis singulae contineantur sententiae, tum quoque, si id minus contingit, et poëta narratiunculam aliquam inserit carmini, sermo enuntiata magis substantialia quam aliis nixa exhibet. Itaque iis, quae supra tempora singula tractantes de genere quodam consecutionis diximus (cf. maxime diss. de plusqp. et fut. exacto)[1]) hic admodum pauca sunt addenda. Duobus enim tantum in versibus Propertius — atque in hac ipsa re non sequitur aliorum consuetudinem — post conjunctionem „dum“ tempus enuntiationis temporalis accommodat futuro enuntiati primarii:

mb. 14, 14: „Quae maneant, dum me fata perire volent“

mb. 14, 23: „Quae mihi dum placata aderit, non ulla verebor Regna“;

scilicet conjunctivus „maneant“ pro futuro est.

---

[1]) p. 6 sqq. p. 11. sqq.

B. Modi.

a) Modi in enuntiationibus primariis.

1. in enuntiatis quibus simplex inest indicium.

Sicut ceteri scriptores, ita Propertius, cum sine arte eloquitur, indicativo modo utitur. Nihilominus autem si magnus exemplorum numerus exstat, in quibus coniunctivus exhibetur, id mori poëtarum videtur tribuendum esse, quorum saepius interest, ut artificiosiore dicendi genere utantur, cuius mollitie ac dulcedine audientium animos delectent, maxime autem Propertii proprium est, qui summa quaeque ab amatore si tempora cogant effici posse saepius coniunctivo significat eam ob causam, quod incertum est num revera omnibus difficultatibus par sit amator: velut III, 15, 46: „*Te solam et lignis funeris ustus amem.*“ III, 17, 16: (*Ipse seram vites pangamque ex ordine colles*) „*Quos carpant nullae me vigilante ferae*“. III, 19, 5: „*Flamma per incensas citius sedetur aristas Fluminaque ad fontis sint reditura caput . . Quam possit vestros quisquam reprendere cursus.* Similiter etiamsi illa non exstet causa, permultis in versibus poëtam leniore dicendi forma usum esse videmus:

mb. 9, 5: Non me Chaoniae vincant in amore columbae.
mb. 10, 28: . . Hoc magis effecto saepe fruare boro.
mb. 14, 7: . . Non tamen ista meo valeant condentere amori: . .
mb. 18, 14: . . Non ita saeva tamen venerit ira mea . .
II, 13, 8: . . Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
II, 14, 32: . . Vestibulum iaceam mortuus ante tuum.
II, 24[b], 25: Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras . .
ferat . . ebibat . deneget . .
III, 5, 25: Tum mihi naturae libeat perdiscere mores.

14, 31/32: Nec quae sint facies nec quae sint verba roganti,
Invenias . .

16, 22: Talis mors pretio vel sit emenda mihi . .

Similiter IV, 1b, 142; 3, 25; 5, 58; 11, 20 sqq. Monendum tamen est, versibus I, 14, 7 et 18, 14 enuntiata concessiva antecedere (I, 14, 7: „*Tu licet . . bibas et mireris . . Non tamen ista meo valeant contendere amori.*“ 18, 14: *Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet, Non ita saeva tamen venerit ira mea . .*), ceteris locis vim aliquam futuri temporis inesse; qua utraque re coniunctivus magis comprobatur. Quod si consideramus, locos alios quoque adhuc dubios vel editorum auctoritate repudiatos coniunctivo vindicare non verebimur; ut enim poëta dicit mb. 14, 7: „*Non . . valeant contendere*“, ita II, 3, 10: „*Lilia non domina sint magis alba mea*“ eum scripsisse contentaneum est neque minus II, 3, 25: „*Haec tibi contulerint caelestia munera divi*“, quae quidem lectiones codd. F et N traditae interpolatorum codicum indicativo posthabitae sunt a nonullis. Hoc genus coniunctivi etiam in enuntiata condicionalia, quae cum illis conjunguntur, attractione quadam transgredi videtur, si quidem cum codd. optimis legimus:

v. 11 (Lilia non domina sint magis alba mea)
Et Maeotica nix, minio si certet Hibero

et v. 33.

Hanc ego nunc mirer si flagret nostra iuventus?

Coniunctivum editores, nisi fallor, eam ob causam non probandum putaverunt, quod enuntiatorum condicionalium coniunctivum continentium nulla praeterea apud nostrum exhibentur exempla.[1]) At cur Propertium coniunctivum non scripsisse existimemus, si exempli gratia apud Vergilium talia legimus, et ea quidem eodem amatorio ardore dicta: ecl. VII, 55/56: si formosus Alexis Montibus his abeat, videas et flumina sicca . . .

67: Saepius at si me, Lycida, formose, revisas,
Fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.

e. X, 33/34: O mihi tum quam molliter ossa quiescant,

---

[1]) cf. diss. n. p. 28 ff.

Vestra meos olim si fistula dicat amores!
Itaque quod licuit Maroni, cur non Sexto licuisse id putes?

---

2. in enuntiatis quibus imperium inest.

Hic quoque noster consuetudinem linguae ita sequitur, ut, si lenius imperatur, aut solum coniunctivum usurpet: mb. I, 32: (*remanete*) *Sitis et in tuto semper amore pares*" . . 35: „*Hoc moneo, vitate malum, sua quemque moretur Cura* . .", aut coniunctivus pendeat ex imperativis „fac" vel „facite" mb. 1, 22: . . *facite illa palleat*; IV. 5, 34: „*fac simules* 11, 68: *fac teneas*; cum vetatur, ex imperativo „cave" mb. 7. 25: *cave contemnas*. 10, 21; II, 13 41; IV, 8, 77. Praeterea haec vetandi forma invenitur: „*parce movere*" mb. 15, 26. Firmissimi quoque imperativi generis, quod futuro indicativi solet exprimi, exempla exstare iam supra futurum tempus tractantes vidimus (p. 16).

Atque hucusque poëta vix a consuetudine videtur cessisse; pervenimus iam ad proprium imperativi usum Propertianum. Cum haud mirum sit, simplicem imperativi formam saepissime apud nostrum utpote poëtam, qui brevitatem diligat, inveniri, alienum videtur, quod saepius firmior imperativus in — to cadens exhibetur, qui a plerisque non nisi graviter solet usurpari. Ea forma apud Propertium exstat:

II, 13, 40 memento . . . hoc iter ad lapides, cara, vehi memores."
II, 18, 3: Si quid vidisti, semper vidisse negato: Aut si quid doluit forte, dolere nega.
22, 43: „Aut si es dura, nega, sin es non dura, venito.
25, 33: Quamvis te persaepe vocet, semel vie negato.
IV. 5, 53: „Aurum spectato, non quae manus adferat aurum."

Quae forma ubi simpliciorem vol conjunctivim adhortativum sequitur, velut II, 13, 39/49 et II, 18, 3, optime inter praecepta in omne tempus futurum et semel servanda fit discrimen; in verss. II, 25, 33 et IV, 5, 53 lepes vel praecepta dantur; solo in versu III, 13, 45 poëta hanc formam plane cum voluntate simplicioris illius usurpat.

Praeterea-et in hac re eodem licentia, qua ceteri, poëta utitur velut Plaut. Asin. 145 *specta modo*: Verg. Georg. *modo impende*

laborem — imperativus et cum adverbio „modo“ (quod pro conjunctione „dummodo“ esse quis non videt?) et cum negatione „ne“ exhibetur: mb. 11, 27: „*Tu modo quam primum corruptas desere Bajas.*“ II, 15, 19; „*Tu modo dum licet, o fructum ne desere vitae 16, 7: Quare, si sapis, oblatas ne desere messes.*“ *20, 14*: „*Tu modo ne dubita de probitate mea.*“ *III, 17, 41: „Tu modo servitio vacuam me siste superbo.*

---

3. in enuntiatis, quibus desiderium inest.

In his quoque enuntiatis elegiae ab aliorum scriptorum usu non multum differunt: desiderium aut coniunctivo simplici (velut „pereat“ mb. 6, 12, „fruar“ II, 1, 48 m. a. ll.) aut coniunctivo pendente e coniunctione „utinam“ exprimitur; velut mb. 3, 39; 8, 9; 9, 8; (quo loco id mirum, quod coniunctionem sequitur „nec“ in v. 11; „aut“ in v. 13); semel coniunctivus aptus est e verbo faciendi: II, 9, 24: „*di faciant fruare*“, sed ita, ut neque coniunctivo „fruare“ neque „faciant“ optationem inesse, sed desiderium tota sententia contineri facile intellegatur.

E prisco linguae latinae more pro coniunctione „utinam“ semel „ut“ legitur: II, 4, 1: „*His saltem ut tenear iam finibus.*“ Iuramenta hac forma: „ita sim felix-ut . . “, quae huc spectant, apud nostrum nihil proprii praebent: mb. 18, 11: „*Sic mihi te referas levis, ut non altera . . intulit pedes*“ similiter II, 20, 29; 21, 9; III, 15, 1; IV, 7, 52. Negatur optatio verbo nolle: „*nolim eviolasse*“ mb. 7, 17. *nunquam velit fallere* I, 13, 4.

In numero optationum hoc quoque enuntiatum velim haberi, quod adhuc variis modis a viris doctis explicatum non sine aliquo momento videtur esse. Cum enim traditus sit a codicibus optimis vers. II, 13, 25: *Sat mea sit magna, si tres sint pompa libelli . .* editores hoc illud coniecerunt, ut difficultatem, quae productione syllabae (ma-) gna oritur, tollerent; quas quidem coniecturas irritas esse Birtius[1]) versu admodum simili IV, 5, 64 allato demonstravit, quem et ipsum

---

[1]) Rhein. Mus. 38, p. 219, ann. 2.

versum editores contra atque traditum est aut eiecerunt aut alio loco posuerunt aut mutilarunt:

Per tenues ossa sunt numerata cutes.

Neque satis. Iam enim Lachmannus, quem nuper Birtius[1]) secutus est, ex illo versu (II, 13, 25) collegit, carmen, quo idem continetur, tertio libro adscribendum esse; a poëta tum tantum ita scribi potuisse, si aut in conficiendo tertio libro esset aut eum iam absolvisset. Quod contra Reisch[2]) exemplis aliunde allatis „*tres*" eodem sensu ac „*nonnulli*" interpretandum esse contendit; negat, ex his verbis quidquam de partitione librorum posse colligi; si quis colligeret, statuendum esse, Propertium tum iam tres libros habuisse confectos. Falso. Nam cur poëtam, „*sat*" *mea sic magna* dicere putemus, nisi postea numerum certum addit? Deinde coniunctivo expectationem inesse quis non videt eandem, quam saepius intelleximus? Coniunctivum enim „*sit*" conservandum esse concedet quisquis carmen attente legerit et cognoverit qua aequabilitate poëta usus praecepta ad funus pertinentia aut coniunctivo aut futuro indicativi exprimat. Sunt autem verborum formae hae: spatietur, sternatur, sit nixa, desit, adsint. Deinde: sequeris, fueris, pones. (cf. p. 15. d. n.)

At ne nimium ex hac expectatione concludamus videtur cavendum. Iam enim in secundo carminum libro scribendo, quamvis sciret, si vita maneret, amore sibi materiem multo ampliorem ad carmina facienda datum iri, modestia quadam adductus dicere poterat de tribus libellis, ut quasi culmen summum, quod se conscensurum speraret, significaret.

Sed unde egressa est tota haec sententia, ut revertamur, desideriis, quae negationem continent, proprium quoddam exemplum addam.

Haud enim sine ambagibus negatur in v. II, 4, 1/2 „a mihi si quis venerit alter amor i. e. „utinam ne venerit". Usum singularem, et eam ob causam mentione dignam, quod sermoni nostro vernaculo haud dissimilis est, in v. IV, 7, 30 videmus: „Si piguit portas ultra procedere, at illuc iussisses . . ire . . ; qui coniunctivus idem valet

---

[1]) Das antike Buchwesen, p. 420 et argumentis e carminum antecedentium natura collectis atque auctis in Mus. Rhen. 38, p. 199 sqq.

[2]) Wiener Studien 1877, 1, pag. 94 ff.

quod: at iussisses vellem" quodque nos dicimus: „so hättest du doch wohl." [1])

---

4. In enuntiatis quibus quaestio inest.

Ut omnino noster in forma quaestionum quas vocant directarum paene nihil proprii praebet, ita modus ad eas pertinens indicativus est omnibus locis. Neque minus in quaestionibus, quibus dubitatio continetur, sicut mos est linguae, coniunctivus legitur: mb. 16, 3: „*An mihi sit tanti*?" II, 3, 33, „*ego nunc mirer*?" „*sim*". II, 6, 19: cur petam? 30, 23: pudeat me? III, 2, 7: miremur?

Tamen eius dubitationis significatio sola prima verbi persona contineri videtur. Quamobrem versum II, 34, 39 quaestionis formam habere posse negem, qui sic traditus est:

Non Amphiaraeae prosint tibi fata quadrigae.

Sed ne consuetudo quidem nostri est, ut enuntiatis concessivis, quae saepius, sicut in hoc carmine, complures deinceps leguntur, quaestionem postmittat; cf. hos locos:

I, 14, 1: Tu licet abiectus Tiberina molliter unda
Lesbia Mentoreo vina bibos opere,
Et modo . . . mireris currere . . .
Et modo . . . ire . . .
. . . . . .
. . . . . .
Non tamen ista meo valeant contendere amori.

I, 16, 23: Sit licet et saxo patientior illa Sicano
Sit licet et ferro durior et chalybe:
Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,

similiter II, 20, 9 sqq. III, 22, 7 sqq.

Coniunctivus „prosint" igitur his exemplis probatur, sed longe alius est quam haesitationis vel dubitationis: potuis lenioris dicendi generis, de quo supra egimus (p. 20). Eum autem coniunctivum Thebaidem Lyncei poëtae extitisse neque affirmare neque negare luce

---

[1]) Similiter Ovidius in Met. V, 26: „*Quae* (sc. praemia) *si tibi magna videntur, Ex illis scopulis, ubi erant affixa, petisses*".

clarius est.[1]) Ad Lynceum amicum Propertii pertinet ille locus.[2]) Is aetate iam provectior cum Cynthiam in hospitium receptam mala cupiditate temptasset accusatur a nostro laesae fidei; at venia data Propertius occasione feliciter oblata utitur, ut vim amoris praedicet et Lynceo elegias commendet, philosophiam et Musam severiorem dissuadeat, simul oblique stringens eum verbis satis ambiguis:

„Nil iuvat in magno noster amore senex", quippe quae et ad Aeschylum (siquidem recte legitur *Erechthei*) et ad ipsum Lynceum pertinere possunt. Dissuadet autem carmina grandis styli his verbis:

v: 33. Iam cursus licet Aetoli referas Acheloi,
Fluxerit ut magno tactus amore liquor,
Atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo
Errat et ipsa suas decipit unda vias,
Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion
Tristia ad Archemori funera victor equos:
Non Amphiareae prosint tibi fata quadrigae . . .

Videmus iam, quo tendat oratio. Poëta demonstrat, carminibus illius generis etsi res amatoriae intexi queant, tamen multa alia contineri, quae non ad amorem pertineant eamque ob causam „non prosint".

Sed quomodo legendus est versus, ut metro non labatur? Profecto non ita, ut traditus est

Non Amphiareae prosint tibi fata quadrigae.

Neque vero forma Amphiareae offensionem praebet ullam; nam e forma nominis Ἀμφιάρης, quam apud Pindarum Nem. IX, 24 legis facile ad adiectivum Ἀμφιάρειος pervenitur, ex quo templum Amphiarai ad Oropum, cuius reliquiae nostro saeculo repertae sunt, nomen Ἀμφιάρειον duxit.

Itaque lectio ea qualis traditur conservari posset, si litteras *ia* pro una syllaba longa accipere liceret, ut secundam in versu arsin explerent; quam tamen opinionem nullo idoneo exemplo firmare poteris; aliud enim est, si. Vergilius *abiete*, quae quattuor breves syllabae sunt, unius dactyli loco posuit. Vidit hoc L Muellerus, qui transpositione syllabam — re in arsi collocavit:

---

1) cf. Mus. Rhen. 32 p. 413 not.

2) Thebaidem a Lynceo scriptam colligit O. Haube, de carm. ep. p. 29—32.

Non tibi quadrigae prosint fata Amphiareae,

viderunt alii, sicut Lachmannus, qui adiectivum a nomine Amphiarai derivavit *Amphiaraeus*, nihilominus autem verbum aliquod versui inserendum esse intellexit,

Non magnam Amphiaraeae prosint tibi fata
Quadrigae . . . .

Quid si traditae scripturae nullam vim facientes iis tantum, quae ipse poëta praebet remediis utimur? Legimus enim supra duobus locis quos coniunctivi illustrandi causa commemoravi, hoc versus initium:

Non tamen . . .

Quod ibi *tamen* adeo non supervacaneum est, ut etiam maxime necessarium sit praemissis tot enuntiatis concessivis. Neque minus eo loco de quo agitur particula opus est, qua enuntiati primarii initium significetur. Itaque hanc primam lectionem nanciscimur:

Non tamen Amphiaraes prosint tibi fata quadrigae.

In quibus *Amphiaraes* genetivus substantivi *Amphiares* erit sicut *Geryonaes* declinatur a *Geryones* (cf. Neue, Formenlehre p. 11 et 13).

Fateor tamen offendere genetivum e genetivo *quadrigae* pendentem. Immo adiectivum aliquod desideratur.

Itaque reputes mihi an ipsa illa moles verbi Amphiareae errori librariorum debeatur. Possit enim *Amph*, quo ea incipit, ex ipso, quod desidero, *tamen* ortum esse.

Quodsi constet, in syllabis quae supersunt *areae* nomen illud adiectivum latet, quo indigemus. Hoc autem adiectivum suspicor esse *Argeae*, quod fere idem valet atque *Amphiareae*, nimirum quoniam Amphiaraus Argivus erat. Habes igitur versum hunc:

Non tamen Argeae prosint tibi fata quadrigae,

qui et sententiae carminis et rei metricae et usui Propertiano optime satisfacit. —

Ex adverbio „forsitan" pendet indicativus:

II, 9, 22: „Forsitan et de me verba fuere mala".

15, 54: „Forsitan includet crastina fata dies"

quo loco species coniunctivi exhibetur tempore futuro.

Is indicativus miro quodam codd. consensu traditur. Quare in cod Neapolitano duobus locis coniunctivum legi sane quis miretur:

III, 20, 6: „Forsitan ille alio pectus amore terat".

23, 11: „Forsitan haec illis fuerint mandata tabellis“.

Sed eum codicem his locis non meliores, sed deteriores lectiones praebere mihi ex illo „fuerint“ elucere videtur, ubi plusquamperfectum et secundum naturam sententiae et usum plusquamperfecti Propertianum summo opere desideratur. Id autem si concedas, cur in versu III, 20, 6 coniunctivus legatur, causa est nulla.

---

b) Modi in enuntiationibus secundariis.

1 in enuntiatis relativis quae vocantur.

Iis quoque in enuntiatis poëta ita non decessit a consuetudine modorum, ut ea omitterem nisi duo loci dubii ex usu Propertiano essent corrigendi. Sunt hi:

III, 16, 11: Nec tamen est quisquam sacros qui laedat amantes.“

IV, 11, 14: „En sum quod digitis quinque legatur onus.“

Utroque in versu usu nostri neglecto nuper legerunt indicativum: „laedit“ et „levatur“. Nam apud nostrum ut pronomen, „quicunque“ indicativus sequitur (cf. mb. 5, 17; 8, 17; qua de causa „*fiet*“ in v. II, 16, 46 lego), ita in enuntiatis relativis eiusmodi, ut aut natura alicuius propria aut consilium aut consecutio significetur, coniunctivus legitur, eo tamen discrimine, ut in iis, quibus forma haec est: „*est-qui*“ vel „*non-est-qui-non*“ indicativus exhibeatur nimirum quod enuntiatum primarium concrescit cum relativo in formam hanc: „Nonnulli“.. vel „Omnes“.

III, 8, 19: „Non est certa fides, quam non iniuria versat“;
9, 17: „Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae“.

Pervenimus iam ad constructionem Graecorum attractioni modorum quae vocatur a grammaticis simillimam: poëta modum enuntiati relativi, quae tamen mentem propriam continet, modo enuntiati primarii, cui coniunctivus inest, accommodavit: mb. 1, 28: „Sit modo libertas quae velit ira loqui“. III, 11, 19: „Ut qui pacato statuisset in orbe columnas-traheret mollia pensa . . III, 24, 6: „Ut, quod non esses, esse putaret amor“ (Graece: „*Πῶς ἄν τις, ἄγε μὴ ἐπίσταιτο, ταῦτα σοφὸς εἴη;*“ Xen. Mem. 4, 6, 7).

---

2. In quaestionibus indirectis.

In iis enuntiatis si noster indicativum usurpat, verbi regentis cum enuntiato recto coniunctio admodum soluta est cogitanda; quae sententia comprobatur iis enuntiatis, quae forma: „nescio-quis“ sunt; in his enim indicativum legimus (mb. 11, 7; II, 29, 14), ac nonnullis quidem locis acbedit, quod quaestio formam constructionis relativae exhibet:

II, 34[b], 36: (referas . .) . . ut . . Errat et ipsa sucs decipit undas vias“.

78: (Tu canis) . . „Quo seges in campo, quo viret uva iugo„.

III, 5, 27 sqq.: (Tum libeat perdiscere) „Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis Cornibus in plenum menstrua luna redit, Unde salo superant venti.

III. 19, 18: (quid referam) . . quo tempore matris . . „Iram natorum caede piavit amor?“ Ceteris locis quaestio facile a verbo regente seiungitur et in formam directae quam vocant transit; itaque indicativus haud iniuria usurpatur:

mb. 17, 6: „Aspice, quam saevas increpat aura minas“.

II, 16, 29: „Aspice, quid donis Eriphyla invenit amaris“.

---

3. In enuntiatis condicionalibus quae vocantur.

Iam breviter stringenti Propertii elegias perspicuum erit, locum hic non esse enuntiatorum condicionalium, quae suapte natura latius spatium obtinent, propter poëtae abruptum et breve genus dicendi. Et inveniuntur maxime talia exempla, in quibus aut altera pars condicionis appareat, altera opprimatur, aut condicio duobus enuntiatis primariis, quae neglecto nexu alterum alteri praemittuntur, contineatur. Itaque poëta non dicit:

mb. 11, 27: „Si Baias corruptas deserueris, . . dicam“; sed: „. . Dicam . . tu modo desere . .“

Quod genus cum ad imperativum modum pertineat nihilque proprii praebeat, ad ea enuntiata condicionalia transire licet, quibus optatio

inest quaeque coniunctionibus „si modo“ vel „dummodo“ similibus instrui solent.

II, 18ᵇ, 30: „Mi formosa sat es, si modo saepe venis.“

IV, 2, 32: „Furabor Phoebi (sc. speciem) si modo plectra dabis“.

Offendit indicativus e coniunctionibus illis pendens eo magis, quod ceteris locis coniunctivum legimus; (mb. 18, 4 et II, 17, 10) sed futuro „dabis“ coniunctivi voluntatem significari iam supra demonstravimus p. 15. Sed quid intersit inter hos versus et illos facile intellegitur: mb. 18, 4. „*Si modo sola queant saxa tenere fidem*“. II, 17, 10: „*Nec, modo si sapias, quod minus esse velis* (sc. quam amans). Nam cum supra fiducia poëtae quaedam appareat, ea, quae enuntiato condicionali continentur, esse futura, his in versibus res, quae per se sane fieri possunt, consilio afferuntur dubiae; optime coniunctivo „queant“ desperatio poëtae exprimitur, qui ipsi saxorum taciturnitati diffidit; coniunctivo „sapiat“ significatur, unicuique, qui adamare coeperit, mala futura nota posse quidem esse, sed ignota esse eam ob causam, quia caecus sit amans (id est, quod non sapit).

4. In enuntiatis concessivis quae vocantur.

In his prae aliis Propertianus sermo licentia excellit quippe qui omnes fere usus communis formas spernat. Usitatissima coniunctionum est „licet“ sequente coniunctivo ut quae propter syllabae utriusque brevitatem aptissima est metro elegiarum; secundum eam coniunctio sive-sive, quam apud nostrum sexcenties legas quamque plerumque indicativus futuri sequitur. Atque hucusque quidem poëta consuetudinem sequitur aliorum; minus in modorum usu e coniunctione „quamvis“ et „cum“ aptorum; ex illa pendet indicativus:

mb. 18, 13: „Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet . . “

II, 8, 27: „Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura . . .“

II, 24ᵇ, 38: „Nobilis et quamvis non ita dives eras . . “

III, 19, 28: „Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit“.

Omnibus reliquis locis eam coniunctionem sequitur coniunctivus; ex qua re facile quis collegerit, poëtam illis in versibus indicativum consulto usurpasse, ut incertum, quod coniunctioni inest, verbi modo

deleat. Et sane poëtae interesse videmus, ut quam certissime loquatur. Hic quaerat quispiam, cur non scripserit poëta „quamquam“ ? Sed ea coniunctio omnino apud nostrum non legitur.

Indicativus aptus e coniunctione „cum“, cui ad firmandam vim adverbium „tamen“ additur, in v. mb. 1, 8: (*mihi furor non deficit toto anno*) „*cum tamen adversos cogor habere deos*“ ita tantum explicari potest, ut temporis significationem praevalere in coniunctione, eamque pro pronomine relativo, quod pertineat ad ablativum „*anno*“ versus antecedentis, esse dicamus.

Sed solus coniunctivus quoque cum conceditur pro coniunctivo e coniunctione „ut“ apto legitur:

IV, 5, 9: „Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum . . “

IV, 5, 57: „Qui versus, Coae dederit nec munera vestis“ (istius tibi sit surda lyra),

quem versum admodum praecise dictum sic interpretandum censeo: „Qui ut versus dederit, nec dederit munera Coae vestis, istius . . “

Haec habui, quae de modorum usu in enuntiatis secundariis dicerem; cetera enuntiationis secundariae genera commemorandi supersedere operae eam ob causam putavi, quod apud Propertium omnino nihil proprii exhibent.

Index locorum dubiorum, qui hac dissertatione continentur.

II, 3, 10 und 25 „sint“ „contulerint“ (pag. 20).
II, 3, 11 et 33: certet, flagnet (pag. 20).
II, 10, 7/8 post vv. 19/20 collocandi (pag. 10).
II, 13, 25 „Sat mea sit magna“ (pag. 22).
II, 16, 46 „fiet“ (pag. 27).
II, 29, 7: „Sed nudi fuerant“ (pag. 12).
II, 31, 7 „steterant“ (pag. 12).
II, 34[b], 39 „prosint“ (pag. 24 sqq.).
III, 16, 11 „laedat“ (pag. 27).
III, 20, 6 „terit“ pag 26).
III, 23, 11 „fuerant“ (pag. 27).
IV, 7, 15 „exciderant“ (pag. 13).
IV, 8, 54 „Palluerant“ (pag. 13).
IV, 8, 82 „Riserat“ (pag. 13).
IV, 9, 28 „luxerat“ (pag. 14).
IV, 11, 14 „legatur“ (pag. 27).

VITA.

Natus sum Hermannus Fridericus Leberecht Spindler Hofgeismarii a. d. III. Cal. Iul. anni MDCCCLXIII patre Hermanno, qui tum inspectioni eorum vectigalium, quae ex agris et aedificiis coguntur, praeerat. Qui cum sex annis post ut eodem munere fungeretur Marpurgum esset vocatus, inde a sexto vitae anno usque ad vicesimum qartum eiusdem urbis interfui omnis generis scholis, quibus pueri et adulescentes solent institui. Ac postremum quidem instructus testimonio maturitatis inde a vere anni MDCCCLXXXII per duodecim semestria in universitate Marpurgensi et Berolinensi operam dedi studiis philologis maxime et historicis ducibus Kirchhoffio, Treitschkio, Bergmanno, Cohenio, Varrentrappio, Lenzio, Fischero, Caesare, L. Schmidtio, Birtio, quibus viris doctissimis de me optime meritis hoc loco gratias agere quam maximas liceat. Superato feliciter examine pro facultate docendi e vere huius anni candidatus probandus in gymnasio Marpurgensi collocatus sum.

Lp 45.278
Syntaxeos Propertianae capita duo,
Widener Library 006957535
3 2044 085 225 886